c ratè calidam uim obtinet, quamobrẽ & lienes induratos liquefacit tum epota, tum foris cum ficubus impoſita. Pſoram etiam ac lepram ſanat. Racemoſus eius fructus pelles tingentibus utilis eſt.

EX PLINIO.

Bryoniæ aſparagi decocti in cibo aluum & urinam cient. Folia & caules exulcerant corpus: utique ulcerum phagedænis, & gangrænis, tibiarumq; tędio cum ſale illinuntur. Semen in uua raris acinis dependet, ſucco rubente poſtea croci. Nouere id qui coria perficiunt: illo enim utuntur. Pſoris & lepris illinitur. Lactis abundantiam facit coctum cum tritico, potumq;. Radix numeroſis utilitatibus nobilis: contra ſerpentium ictus trita drachmis duabus bibitur. Vitia cutis in facie, uarosq; & lentigines, & ſugillata emendat, & cicatrices. Eademq; præſtat decocta in oleo. Datur & comitialibus potus. Item mente cõmotis, & uertiginẽ laborantibus, drachmæ pondere quotidie anno toto. Et ipſa autem largior aliquanto, purgat ſenſus. Illa uis prędara, quod oſſa infracta extrahit in aqua impoſita, ut Bryonia: quare quidam hanc albam Bryoniam uocant. Suppurationes incipientes diſcutit, ueteres maturat & purgat. Cit menſes & urinam. Eclegma ex ea fit ſuſpirioſis, & cõtra lateris dolores, uulſis, ruptis. Splenem ternis obolis pota triginta diebus cõſumit. Illinitur eadem cum fico & pterygijs digitorum. Ex uino ſecundas fœminarum appoſita trahit: & pituitam, drachma pota ex aqua mulſa. Succus radicis colligi debet ante ſeminis maturitatem: qui illitus per ſe & cum eruo, lætiore quodam colore, & cutis teneritate mangonizat corpora: ſerpẽtes fugat. Tunditur ipſa radix cum pingui fico, erugatq; corpus, ſi ſtatim bina ſtadia ambulentur. Aliàs urit, niſi frigida abluaẽ.

DE AMPELO MELAENA. CAP. XXXIII.

NOMINA.

Vitis nigra unde dicta.

AMPELOS *mélaina* Græcis, Vitis nigra Latinis nominatur. Officinis incognita. Germanis **Waldreben/oder Lynen/oder Lenen** uocaẽ. Nigra uero uitis dicta eſt à radice nigra, & quod uitis ſimilitudinẽ obtineat.

FORMA.

Folia Hederæ ſimilia habet, magis tamen ad Smilacis folia accedentia, cui & caules ſimiles obtinet: maiora tamen eius folia quàm illius ſunt. Clauiculis hæc etiam arbores amplectitur. Semen racemoſum, initio herbaceum, cum maturuit deinde nigrum. Radicem foris nigram, intus buxei coloris. Ex qua deliniatione omnibus cõſtat herbam hanc cuius picturã exhibemus, eſſe uitem nigram. Folijs enim Hederę, maioribus tamen, Smilaci proximioribus, caulibus quoq; cognatis. Clauiculis ſuis arbores perinde atque adminicula comprehendit. Semen racematim cohæret, inter principia uirens, poſt maturitatem nigreſcens. Radix foris atra, intus buxeo colore nitet. Flores eius, quod omiſit Dioſcorides, ſunt candidi, & odorati, quibus decidentibus ſemen ſubnaſcitur plumis quaſi ueſtitum, aut barbæ canæ effigiem præbens

LOCVS.

In frutetis & dumetis potiſſimum naſcitur.

TEMPVS.

Floret Iulio menſe, Auguſto uero ſemen profert.

TEMPERAMENTVM.

Idem quod uitis alba temperamentum habet.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Huius caules in prima germinatione olerum modo manduntur, urinæ & menſibus ducendis utiles. Iidem lienes minuunt. Comitialibus, uertiginoſis, & reſolutis accõmodati ſunt. Radix eadem præſtat quæ uitis albæ, minus efficax tamen. Folia cum